

QK 389,16

X 1903695

II n
6166

CONDITIO-
NES PACIS IN-
TER ROMANORVM, ET TVRCICVM
IMPERATOREM, RVDOLPHVM II. ET
ACHOMETEM I. SVLTANVM, UT IL-
LÆ ANNO SUPERIORI M. DC. VI.
inter vtrosq; tractatæ & conclusæ
sunt,



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(MALE)

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

ANNO DOMINI.
M. DC. XV.



ARTICVLI
ET CONDITIO-
NES PACIS ET FOEDERIS INTER
ROMANORVM ACTVRCI-
CVM IMPERATO.
RES.

NOS, IOANNES AMO-
lart, Liber Baro in Reinek &
Drosendorff: Sacrae Cæs: Regi-
æq; Maiest: Consiliarius bel-
licus, supremus Capitaneus
Comaromiensis, & supre-
mus Præfectus Tormentariorū
in confinijs Suæ Maiest: Adol-
phus ab Althan, Liber Baro in Goldbergk &
Mursteten, Sacrae Cæs: Regiæquè Maiestatis:
Consiliarius bellicus, supremus Præfectus Tor-
mentariorum campestrium, & Gubernator exer-
citus S. C. R. M. Comes Georgius Thurzo
de Betlemfalvva, perpetuus Comes Comitatus
Arvensis, Dapiferorum Regalium in Hungaria Ma-
gister S. C. R. M. Consiliarius: Nicolaus Istyvanffij, de
Kisa-

Kisazonfalua , Ianitorum Regalium in Hungaria
Magister, S. C. R. M. , Consiliarius : Sigefridus
à Kolonich, S. C. R. M. partium regni Hun-
gariæ Cisdanubianarum Generalis Capitane-
us , Consiliarius Bellicus , & Eques auratus :
FRANCISCVS de Batthian , Comes Comitatus
Soproniensis , S. C. R. M. partium regni Hun-
gariæ Ultradanubianarum Generalis Capitane-
us: Christophorus Erdeödj de Erdöd, per-
petuus Comes Montis Claudij , Serenissimi
Archiducis Austriae, MATTHIÆ, Cubicularius,
ad tractatum pacis designati Commissarij : ac
per Illustrissimum Principem STEPHANVM.
Transylvaniæ Principem, Siculorum Comitem ,
ac partium regni Hungariæ dominum , ad tra-
ctatum eiusdem pacis delegati, STEPHANVS
Illieshazij, Comes Comitatus Trinchinien : &
Lipptovv : Paulus Niarij de Dedegh : Michael
Czobor de Czobor zentmihalij , & GEORgius
Hoffman : Memoriae commendamus tenore
præsentium , significantes , quibus expedit,
universis: Quod post quam inter Suam Maiest-
tem, Rudolphum Secundum, DEI gratia Romano-
rum Imperatorem , semper Augustum , ac Ger-
maniae Hungariæ , Bohemiæ , Dalmatiæ , Croa-
tiæ Sclauoniæque, Regem, &c. Dominū nostrum
A 2 clementif-

clementissimum, & Murathem secundum atque Mehmet tertium, quondam Turcarum Imperatores, rupto ex parte ipsorum prius foedere bellum motum, usq; ad præsens tempus Achometis, moderni nimirum potentissimi Turcarum Imperatoris, continuatum est: li- dem ergo Imperatores, erga plebem, tam diuturno, quindecim nempe annos, varijs vtrunque duelli fortunis, gesto bello, afflictam, misericordia moti, ipsis ac reliquis quoque eorum subditis quietem & tranquillitatem parere atque à bellorum periculis aliquantulum sublevare cupientes, denuò ad renouationem foederis animum induxerunt: Potentissimusque Turcarum Imperator Spectabilem ac Magnificum, Alij Bassam, Budæ, Locumtenentem suum, supremumque Præfectum, & Habil Effendij, supremum Kadium, ad hoc delegit, qui post diuersos vltrocitroque habitos tractatus & sermones, tandem in sequentes futuræ pacis conditiones, vtrunque firmiter obseruandas, condescendimus:

Prima

PRIMA CONDITIO.

VT AD V E N I E N T I B V S A D
utrosq; Imperatores Legatis, unus in Patrem
alter verò in filium se suscipiant: idq; fiat per istam
legationem.

S E C V N D A.

Ut in omnibus scriptis, literis visitationi-
bus, humaniter procedatur, & unus alterum Cæsa-
rem appellet; non autem Regem.

T E R T I A.

Ut Tartari quoq; & reliquæ nationes in
pace comprehendantur, nec durante pace quic-
quam damni regnis Christianorum & Prouincijs
inferant.

Q V A R T A.

Ut inter istos duos Imperatores sit pax in
omnibus locis, præcipue verò in Hungaria, &
Prouincijs ab antiquo ad illam pertinentibus, ac
alijs Regnis, Regionibus & Prouincijs, tam in
mari quàm in terra, ad eos nempe Imperatores
pertinentibus; includunturq; cuncta Regna ad Inchy

tam domum Austriacum addita, vel ab ea dependen-
dentia. Et si Rex Hispanus quoq; pacem inire
vellet, non contrariaremur.

QVINTA.

Ut omnes excursions penitus tollantur. Si
casu aliquo praedones insurgerent, damnaq; cuili-
bet partium inferrent, liceat huiusmodi nefarios
carcerare, & de captiuitate eorum alteram par-
tem certificare, cum quibus postmodum iure pro-
cedatur coram eo Capitaneo, sub cuius Capita-
neatus huiusmodi violentiae contigerint, resque ab
late restituantur.

SEXTA.

Ut arces inuadere & occupare, nec clam, nec
palam, vel aliqua practica sit licitum, neq; ten-
tando illas occupare sub quouis praetextu, nec ab vl-
la parte homines in captiuitatem ducere, nec re-
ceptaculum vel fomētum dare malis hominibus &
inimicis utriusq; Caesaris. Quod autem conces-
sum est Illustriss: D. Bochkay, illud maneat, jux-
ta pacta Viennae facta,

Septima.

SEPTIMA.

Ut captivi ab utraq; parte restituantur, & juxta equalitatem personarum permutentur, ita ut juxta tractationem Domini eorum contententur utrinque. Qui autem jam cum suis de redemptione concluderunt, id solvant: Qui autem in suspensione armorum capti sunt, ij gratis dimittantur.

OCTAVA.

Ut Faurinensi Generali Capiteo, similiter & Basse Budensi, (reliqui autem ab illo dependant) & Bano in Sclavonia reliquisq; Capitaneis supremis ultra & cis Danubium pro evitandis forte in confinijs oriendis contentionibus & scandalis, omnis potestas detur: quod si autem aliqua magni momēti negotia interuenerint, quæ per eos decidi non possent, ex tunc de huiusmodi uterq; Imperator requiratur.

NONA.

Ut arces in suis antiquis locis liceat cuilibet parti reedificare & fortificare: de nouo autem Castra & castella edificare non liceat.

Decima.

DECIMA

Ut ex nostra parte mittatur Legatus cum muneribus ad Imperatorem Turcarum, & Magnificus Murath Bassa Zerdar mittat etiam Legatum suum ad nostrum serenissimum Archiducem Matthiam, D. nostrum benignissimum, cum muneribus: & quando nostri Legati Constantinopolim venerint, ad ratificationem pacis, inde quoque mittat Turcarum Imperator ad nostrum Pragam Legatum, cum maioribus muneribus, quam antea solitum erat.

VNDECIMA.

Ut nunc Legatus sue Maiestatis Cesaree adferat Constantinopolim munus valoris ducentorum: millium florenorum, juxta promissum, semel pro semper.

DVODECIMA

Ut pax duret per annos 20. computando à prima Januarij futuri anni: & post triennium mittat uterque Imperator Legatos cum muneribus ad in vicem, sine obligatione & nomine munerum ad libitum

libitum cuiusq; & arbitrium suum. Item, perso-
nas equales & condecetes. In his 20. annis in-
telligantur omnes sue Cæsareæ Maiest: legitimi
heredes & successores, regni Hungariæ Reges. I-
tem fratres, Affines & nepotes, & horum legitimi
heredes, & successores comprehendantur, & cum
illis firma pax mane at. Illud idem ex parte
Turcici Imperatoris fiat & intelligatur.

DECIMA TERTIA

Ut Vacium possit edificari & amplificari, in
manibus nostris manens.

DECIMA QUARTA.

Ut quando S. C. M. Legati ad portam per-
uenerint, sit illis liberum petere à Cæsare Turci-
co quidquid voluerint.

DECIMA QUINTA.

De villis dedititijs transactum est, ut illæ quæ
cum arcibus, Filek, Somoskeö, Ainaczkeö, Di-
uin, Kekkö, Zechë, Giarmath, Palanka, Nograd
& Vacia, à deditione & iugo Turcico liberatæ
sunt, illæ nec in posterum illis sint dedititiæ aut tri-
butariæ, postquam arces illæ nunc in manibus no-

stris

stris habeantur, & ad illas nemo Turcarum aut
Ispaiarum quicquā Iuris habeat, ubicunq; tandem
habitent, nec eas ad deditioem compellant. Ex-
ceptis illis pagis, qui post captam Agriam continuē
& semper fuerunt tributarij, quos in ea deditio-
ne manere necesse est: extra illas Agrienses Turcæ
nullas villas sibi subiungent.

DECIMA SEXTA.

Quod ad partes Strigonij attinet, quando
Christiani illud à Turcis receperunt, sicuti eo tem-
pore Turcæ villas illas subiūgarunt & possederūt
ille etiam nunc & deinceps eo sint subditæ. Sed
aliæ extra illas à Turcis non compellātur ad dedi-
tionem.

DECIMA SEPTIMA.

De villis circa Canisiam sitis tractatum est
quod Bassa Budensis, similiter & Dominus Fran-
ciscus Batthiani, suos homines præcipuos expedi-
ant, & ij reuideant villas, & recenseant quæ illic
fuerint, & rectificent. Inter villas dedititias
si qui nobiles habitant, aut domos, habent, ij Tur-
cis nec tributum nec decimas pendāt, neq; vlla in
parte

parte tributarij sint, sed per omnia tam in bonis,
quàm in personis liberi habeantur. Et quicumq;
legitimo Regi nihil pendunt, nec Turcis aliquid
pendant. Et Turcæ ad villas ne egrediantur, sed
per Iudices villarum suos prouentus exigant. Ve-
rùm si Iudices id non præstarent, scribatur Capi-
taneis vel Dominis terrestribus eorum, ut ij com-
pellant. Si eomodo quoq; nihil efficeretur, tunc
exeant Turcæ ad compellendum. Eodem modo ex-
parte Hungarorum fiat & intelligatur.

NOS itaq; sæpefatæ Suæ M. C & R. Domi-
ni nimirum nostri clementissimi, Commis-
sarij & Consiliarij, nomine & in persona Suæ
Maiestæ atq; præcipuè Serenissimi Archiducis Mat-
thiæ, domini itidem nostri clementissimi, totiusq;
inclytæ domus Austriacæ, nos obligamus, certoq;
promittimus, præscriptos Suæ M. C. R. Suæq;
Serenitatis Articulos, inter nos, & prædictos,
Magnificum Alij Bassa, atq; Habil Effendij,
Kadium Budensem, nomine potentissimi Turca-
rum Imperatoris conclusos, donec ex parte Tur-
carum non infringentur, in omnibus punctis & clau-
sulis obseruabimus, & per eorum quoq; supremum
Szerdar, Capitaneosq; & reliquos Præfectos, quorum
interest,

ak T n 6/66
interest, firmiter & inuolabiliter observabuntur. In
cuius rei fidem & firmitatem, præsentes hasce li-
teras, manibus nostris subscriptas, & sigillis ro-
boratas, vniuersis & singulis, quorum interest
pro testimonio dandas duximus & expediendas.

Datum in castris inter Danubium & fluuium

Sityua positis, die vndecima mensis

Nouembris, in festo Sancti Mar-

tini, Anno Domini

Millesimo, Sexin-

gentesimo

Sexto,



me

1712

Qk 389,1b

X 19

COM
NES
TER ROMAN
IMPERATO
ACHOMET
LÆ ANN
inter v



AN

VM



Kodak
LICENSED PRODUCT
Black

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

White 3/Color
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19